

RECENS HABITAE 19

rem, atq; insuper spectatas Stellas semper easdem
fuisse cognoscerem, (nulla enim alia, aut precedē-
tes, aut consequentes intra magnum intervallum in-
ta longitudinem Zodiaci aderant) iam ambigui-
tatem in admirationem permutans, apparentem
commutationē non in Ioue, sed in Stellis adnota-
tis repositam esse comperi; ac proinde oculate, &
scrupulose magis deinceps observādū fore sū rat^o.

Die itaq; 11. eiusmodi constitutionem vidis

Ori.

* *



Occ.

Stellas scilicet tantum duas orientales; quarum me-
dia triplo distabat a Ioue, quam ab orientiori;
eratq; orientior duplo fere maior reliqua, cum
tamen antecedenti nocte æquales ferme apparu-
issent. Statutum ideo, omniq; procul dubio a me
decretum fuit, tres in cœlis adesse Stellas vagan-
tes circa Iouem, instar Veneris, atq; Mercurii cir-
ca Solem: quod tandem luce meridiana clarius
in aliis postmodum compluribus inspectionibus
observatum est, ac non tantum tres, verum qua-
tuor esse vaga Sydera circa Iouem suas circumvo-
lutiones obeuntia, quorum permutationes exa-
ctius consequenter observatas subsequens narra-
tio ministrabit, interstitia quoque inter ipsa per
Perspicillum, superi^o explicata ratione, dimetitū
sum: horas insuper observationū, præsertim cum
plures in eadē nocte habitæ fuerūt, apposui; adeo
n. celeres horū Planetarū extāt revolutiones, vt
horarias quoq; differētias plerūq; liceat accipere.

Die igitur 12. hora sequentis noctis prima hæc
ratione disposita Sydera vidi Erat ori. ntalior

Ori.

* *



* *

Occ.